



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

95. Alias fel. rec. &c. Declaratio nullitatis & reprobatio omnium gestorum,  
& attentatorum pro D. Principe Gustavo Leopoldo de Dupont, intrursum in  
administrationem Militiæ Aureatæ Constantini mæ S. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



DECLARATIO

Nullitatis, & reprobatio omnium gestorum, & attentatorum per D. principem Gustavum Leopoldum de Dupont, intrusum in administratione Militiæ Aureatæ Constantinianæ S. Georgii: cum confirmatione concessionis, & assignationis Muneris Magni Magistri ejusdem Militiæ factæ à fel. rec. Innocentio Papa XII. ad favorem Serenissimi Francisci Farnesi Ducis Parmæ &c. ejuque Familiæ.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

**A**liàs fel. rec. Innocentius Papa XII. Predecessor noster supplicationibus dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Francisci Farnesi Parmæ, & Placentiæ Ducis, ac Joannis Macedoniæ & tunc Magni Magistri Militiæ Aureatæ Constantinianæ sub titulo S. Georgii & Regula Sancti Basilii Magni nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ac etiam motu proprio ex certa scientia & matura deliberatione suis deque Apostolica Potestatis plenitudine resignationem Officii, seu Muneris Magni Magistri, seu perpetui Administratoris dictæ Militiæ dicto Francisco Duci, ac ejus post ipsum Natis, Nepotibus, & Descendentibus, aliisque ejus Familiæ Farnesiæ Successoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus pro tempore existentibus à prædicto Joanne Andrea Principe, & Magno Magistro, qui (ut asserbat) Nobilis, & antiquæ Familiæ suæ Angelæ Flaviæ Commenæ solus superstitis, ac non tam liberis, quam spe illos procreandi destitutus existeret (reservato desuper Apostolica Sedis beneplacito (factam, publicumque desuper confectum Instrumentum, seu Scripturam sub certis modo, & forma tunc expressis perpetuò confirmavit, & approbavit, illique inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robor, efficaciam, & validitatem adjunxit, & adjecit, & nihilominus ad majorem, & abundantiorum cautelam, & quatenus opus esset, ac etiam omni alio meliori modo, via, jure, & forma, quibus firmiter, & validius facere potuit, eidem Francisco Duci, ac ejus Natis, Nepotibus, & Descendentibus, aliisque ejus Familiæ Farnesiæ Successoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus pro tempore existentibus, suo ordine respectivè, supradictum Officium, seu Munus Magni Magistri, seu perpetui Administratoris Militiæ Aureatæ Constantinianæ præmissis, vel aliàs certo, quem pro expresso haberi voluit, modo tunc vacans, cum omnibus & singulis illius honoribus, juribus, præminentis, & prærogativis solitis, & consuetis, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, perpetuò concessit, & assignavit, & aliàs prout in ipsius Innocentii Predecessoris literis desuper in simili forma Brevis die xxiv. Octobris MDCXCIX, expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 1. Postmodum verò cum dilectus etiam filius Nobilis Vir Gustavus Leopoldus Princeps de Dupont à dicto Innocentio Predecessore perisset quandam electionem, quam de sui persona in Magnum Magistrum, seu perpetuum Administratorem dictæ Militiæ à nonnullis illius Fratribus, seu Militibus factam fuisse asserbat, confirmari; Sed prædictæ Innocentii Predecessoris literæ ad eundem Francisci Ducis favorem jam expeditæ reperirentur, illarumque exemplum, ipsi Gustavo

Leopoldo Principi ut earum dispositioni, & ejusdem Innocentii Predecessoris voluntati acquiesceret exhibitum fuisset, ac nihilominus dictus Gustavus Leopoldus Princeps die xxv. Martii anni proxime præteriti per quemdam suum Procuratorem ad id specialiter constitutum prætextu memoratæ Electionis, licet invalidæ & à paucis dictæ Militiæ Fratribus, seu Militibus, absque ulla legitima auctoritate, ac solemnitatibus per Sacros Canones ad Electionis celebrationem requisitis factæ, Habitum, & Crucem Militiæ prædictæ duobus religiosis Hispanis, nempe Francisco Valentino de Luca Ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum professori, & Bartholomæo Penpont Monacho, seu Fratri expressè professo Ordinis Sancti Hieronymi in Hispania tradere præsumpsisset, & aliàs prout in publico Instrumento super traditione hujusmodi per acta cegominati Orfini Notarii Capitolini confecto diffusius continetur; Idem Innocentius Predecessor ad cujus notitiam id subinde pervenerat, hoc negotium ad Congregationem trium S. R. E. Cardinalium, de quorum numero, tunc in minoribus constituti eramus, à se specialiter deputatam remisit; Ipsaque Congregatio Cardinalium suum quidem desuper Decretum, & resolutionem edidit, sed dicti Innocentii Predecessoris infirmitate, & deinde obitu superveniente, literæ Apostolicæ, quas eadem Congregatio Cardinalium super Decreto, & resolutione prædictis expediri posse censuerat, minime expediri potuerunt.

§. 2. Nos proinde Decreto, & resolutioni hujusmodi inhaerentes ipsiusque Innocentii Predecessoris literas ad dicti Francisci Ducis favorem, ut præfertur, emanatas perpetuò firmas & inviolatas permanere volentes, ac prædictæ Electionis modum, & formam nec non omnium, quæ illius prætextu à prædicto Gustavo Leopoldo Principe quovis modo acta, & gesta sint, seriem, causas, & circumstantias univasas, aliæque quæcumque, etiam specificam, & individua mentionem, & expressionem requirunt, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactè specificatis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, omnia, & singula per dictum Gustavum Leopoldum principem, & memoratum ejus Procuratorem dictæ Electionis prætextu quomodolibet acta, gesta, & ordinata, cum omnibus inde secutis & forsàn quæcumque secuturis penitus, & omnino nulla, inania, invalida, irrita, attentata, ac propterea nullatenus attendenda esse, & perpetuò fore; idque in margine dicti Instrumenti, ad hoc ut in eo contenta pro irritis, nullis, invalidis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper habeantur, adnotari debere tenore præsentium decernimus, & declaramus; Ac præterea dilecto filio nostro in dicta Urbe Vicario in spiritualibus Generali, & aliis, ad quos spectat, harum serie committimus, & mandamus, ut Franciscum Valentinum, & Bartholomæum Religiosos præfatos ad redeundum ad Claustra suarum Religionum opportunis Juris remediis auctoritate nostra Apostolica cogant.

§. 3. Decernentes etiam easdem præsentis literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quòd Gustavus Leopoldus Princeps, & Religiosi præfati, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præminentiae, & dignitatis existant, seu aliàs specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, causeque propter quas præsentis emanarint, sufficienter

Innocentius XII. his auditis negotium discutiendum commisit Congregationi trium Cardinalium, de quorum numero erat idem Pontifex, ipsaque Congregatio desuper Decretum edidit, sed obsecutum obitum prædicti Innocentii Papæ literæ Apostolicæ expediri non potuerunt.

Pontifex præfatus Decreto inhaerens, & literas ejusdem Innocentii Papæ omnino observari volens, electionem d. Principis de Dupont, & cum omnibus inde secutis & secuturis nulla, irrita, & attentata declarat.

Duos Milites regulares à d. Principe nulliter creatos ad claustra remitti mandat.

Cum amplissimis clausulis roborantibus, & præfertim subarta & decreto irritanti.

Exordium ab approbatione & confirmatione facta per Innocentium XII. resignationis Magni Magistri Militiæ Constantinianæ ad favorem Serenissimi Ducis Parmæ, ejuque Descendentium.

Princeps de Dupont electionem de sui persona factam in Magnum Magistrum d. Militiæ à nonnullis ejus Militibus confirmari petiit ab Innocentio XII. ac interim duos Milites creavit.



adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & incogitabili, individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperiçionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quando- cunque spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliove quolibet quacunque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quocunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Militiæ, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & styliis, privilegiis quoque, indulgiis, & Literis Apostolicis eidem Militiæ, illiusque Fratribus, & Personis etiam primioribus, seu primis sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, & pluries, & quantiscunque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, præsentibus plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anno Piscatoris die xx. Aprilis MDCCI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Oliverius.

ERECTIO

Ecclesiæ Parmensis Beatæ Mariæ della Steccata nuncupatæ in Ecclesiam, & Sedem Conventualem Sacræ Equestris Religionis Constantinianæ S. Georgii, cum pluribus concessionibus ad favorem tam ejusdem Religionis, quàm illius Sereniss. Magni Magistri Francisci Farnesii Parmæ, & Placentiæ Ducis, ejusque Successorum.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiæ regimini, nullo licet meritum nostrorum suffragio, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, præfidentes, ad ea potissimum, quæ Militarium Ordinum, maximo Christianæ Reipublicæ bono, antea actis temporibus institutorum decus, & incrementa respiciunt, quæque in Orthodoxæ Fidei, Divinæque cultus amplificationem celsura esse noscuntur, vigilantia nostræ curas libenter convertimus, nostrique Apostolici Officii partes propensâ benignitate desuper interponimus, prout pia Catholicorum Principum vota postulant, & Nos, prudenti consultatione adhibitâ, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Sanè aliàs, postquam tunc in humanis agens Joannes Andreas Angelus Flavius Comnenus, dum vixit, Princeps Macedoniæ, ac Magnus Magister Militiæ Areatæ Constantinianæ sub titulo Sancti Georgii, & Regulâ Sancti Basilii Magni Familiæ suæ Angelæ Flaviæ Comnenæ solus superstes, ac tam liberis, quàm spe illos procreandi jam destitutus, summopere cupiens in Officio, seu munere Magni Magistri, seu perpetui Administratoris Militiæ prædictæ, quod longissimo tempore ab ejus Progenitoribus continuâ, ac non interruptè seric obtentum, & possessum fuerat, dari sibi Successorem prævalidum, cujus ope, ac virtute Militia præfata revelaretur, ac præservaretur à noxiis, nec non lætioribus, benedicente Domino, proficeret incrementis, ad Personam dilecti Filii Nobilis Viri Francisci Farnesii Parmæ, & Placentiæ Ducis, egregiis naturæ, gratiæque Divinæ muneribus præfulgentem, mentis suæ oculos providè direxerat, juribusque sibi in hac re quovis modo competentibus, seu quæ sibi competere existimaverat, utens, eidem Francisco Ducis, ejusque Successivè Natis, Nepotibus, & Descendentibus, aliisque ipsius Francisci Ducis Familiæ Farnesiæ prædictæ Successoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus pro tempore existentibus Officium, seu munus Prædictum, reservato tamen desuper Sedis Apostolicæ beneplacito, resignaverat; felicis recordationis Innocentius Papa XII. Prædecessor noster, firmam in Domino spem concipiens, dictum Franciscum Ducem, cui præter generis splendorem, ac domestica Majorum exempla, Catholicæ Religionis tuendæ zelus, aliæque eximie, ac pio, prudentique Principe dignæ virtutes abundè suffragabantur, Militiæ prædictæ plurimum utilitatis allatum esse, ac proinde felicibus ejusdem Militiæ, quæ, ut asserbatur, diversis Privilegiis, Gratiis, & Indulgiis à quamplurimis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, tunc suis, insignita fuerat, progressibus opportune consulere volens supplicationibus tam Francisci Ducis, quàm Joannis Andreæ Principis, & Magni Magistri, seu perpetui Administratoris prædictorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus ac etiam motu proprio, ac

Et consueta derogatione quibuscumque contrariis.

Exordium à Pontificio studio promovendi ea quæ decus, & incrementum Ordinum Militarium, & consequenter Orthodoxæ Fidei & Divini cultus amplificationem respiciunt.

Jo. Andreas Angelus Flavius Comnenus Princeps Macedoniæ, ac Magnus Magister Militiæ Areatæ Constantinianæ.

Præfatus Princeps Macedoniæ religiose gnavit munus Magni Magistri dicti Militiæ Constantinianæ Serenissimi Ducis Francisci Farnesii, ejusque Descendentibus, aliisque ipsius Serenissimi Ducis Successoribus, reservato beneplacito Apostolico.